DE MORTE
MICHAELANGELI MONTIS
CELEBERRIMI POETÆ
JOSEPH PLATIO
CELEBERRIMO ASTRONOMO
PANORMUM REDEUNTI
FRANCISCI NASCÈ
ELEGIA.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

PANORMI,
TYPIS PHILIPPI SOLLI.
1825.

Digitized by Google

ESTRATTO DAL GIORNALE DI SCIENZE LETTERE ED ARTI
PER LA SICILIA N.° XXVIII.

..... Animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter,
HORAT.

OMNIA qui tacito labentia sidera cælo
Dispexit, numerum, tempora certa, vices,
Nominaque, et magni complexus mœnia mundi,
Adderet ut notis orbibus orbem alium, *
Fernandumque Deis; Siculis dum clarior oris
Fulget ab axe novo conspicienda Ceres:
Venerat. Illum absens oculis, animoque sequuta
Parthenope votis anxia solicitat;
Et mare suppositum summa prospectat ab arce, **
Unde novum in stellas ardua tentat iter.
Ast Urbs hæc excita suis e sedibus ultro
Excepitque sinu, brachiaque injiciens
Oscula libavit redeunti, ac talia rupit:
Tene iterum video? Tune iterum meus es?
Venisti, et lucem Matri, vitamque tulisti?
(Nam quamquam externo sum tibi amore parens)
Venisti? Nec te tot adhuc spirantia signa,
Collecta et veterum tot monumenta operum,

* Novum Ferdinandeæ Cereris sidus.
** Redierat Neapoli. Astronomica specula, quod faustum, felixque sit, illic fundata.

Annus in vultu curas, frontemque serenat,
Adventu tanti facta beata Viri.
Quem postquam ad limen regali in sede locavit,
Defessa ut posset membra levare via;
Unda salutantum longo agmine confluit, et vix
Porta undam recipit, vix satis ampla vomit.
Ibam ego, sed cura mentem defixus in una
Haud poteram emensæ conscius esse viæ.
Quam nihil (hæc mecum) nihil omni ex parte beatum est!
Heu maculat quantus gaudia tanta dolor!
Mercator veluti, sanctos si forte revisit,
Dum circum adspirant cuncta secunda, lares;
Obvia fit conjux, post unus, et alter, et alter
Natorum, proditque officiosa domus;
Hanc tamen is vacuam circumspicit, et vocat unum,
Absenti quem mors invida surripuit;
Atque urget manes, et numina cuncta fatigat,
Et vitam incusat perditus: haud aliter
Hic redit, et læta quamvis stipante corona,
Unum, qui vita carior, atque anima,
Quicum vel longas suetus traducere noctes,
Quicum vel totos continuasse dies,
Amissum huc illuc oculis, et mente requiret;
Amisso vacuam sentiet esse domum.
Jamque adventabam quo fuso ex ære Philippus *
Sceptra teneus sacris ædibus advigilat;

(Hoc memini) simul aura meos circum strepit artus;
Irruit, et toto corpore corripior:
Mutor ego; Deus ecce Deus; mihi cuncta recedunt:
Ante oculos properant ordine cuncta novo.
Forma ignota, ingens, cœlo delapsa sereno,
Ut quum prona cadit stella, trahitque facem,
Qua latum longo designat limite sulcum,
Astitit, haud dubia luce videnda; Dei
Incertus facies, hominisne, horrescere primum,
Arrectæ capiti diriguere comæ.
Post ubi paullatim cœpit clarescere vultus,
Paullatimque oculis fit manifesta fides,
Altera sit quamvis, et nota major imago,
Agnosco; magnoque impete prætrepidans
Cor simul assensit: Michael hic angelus, hic est,
Hic est! o misero, frater, adempte mihi,
Quæ tantæ tenuere moræ? Queis rursus ab oris
Detulit in nostrum quæ nova caussa sinum?
Non sic optato perfunditur hortulus imbre;
Mane novo non sic gramina rore madent;
Ut tu, sancte, venis expectatissime; et o si
Dicere si reduci nunc bona verba velis,
Atque insperanti mecum te ostendere amico,
Ut nunc inciperet cuncta nitere domus!
Ut nunc plena illi cumulares gaudia, qui, te
Uno absente, putat omnia abesse sibi!
Ille autem blando convertens lumina vultu,
Fassa olim totam lumina adesse animam:
Quam vellem tecum subito improvisus adesse!
Quam vellem caro multa referre seni!

---

* Philippi IV statua ex ære, ita posita, ut ad custodiam Palatii advigilare videatur.

Quot puncto percurri millia in uno
His studiis tactus pectora! Versat, agit
Nimirum ignea vis secretum carcere diro,
Ignea vis animi, particula illa Dei,
Pervia fulmineo cui saxa potentius ictu:
Emicat, immensum transilit et spatium.
Et possum, et vellem; sed me timor ille retardat,
Ne subito assultu cor magis, atque magis
Affluat exundans, laxetque repagula vitæ:
Impar ille foret, lætitiaque minor.
Novi ego morte mea, novi quam perdite amaret;
Quo luctu manes læserit usque meos.
Et Pylium memorant plorasse in funere regem,
Quum Antilochum usque Deos, posceret usque Deos.

Nuncia charta domos me jam evasisse sub imas,
Dum legit, excussa est, decidit e manibus.
Obstupuit primum, totoque expalluit ore:
Mox, ut paullatim redditus ipse sibi;
Ah! dolor exarsit violentior; uritur ille,
Nec Bacchi potis est munera, nec Cereris,
Nec dulcem fessis oculis admittere somnum:
Infesta et potuit tundere aperta manu
Pectora mentis inops Sapientum Nestor: et ulla
Non illum Nesis tunc pia juvit ope,
Misenusque ulla; peramæno aut littore Bajæ,
Aut ipso recreans nomine Pansilypus;
Sive Casertanæ, regum miracula, moles;
Magnave concreto urbs eruta de cinere.
Narrabat: totum tacitis, totumque pererro
(Memet abstulerat sic mihi) luminibus.
Mirabar quoddam divinum offundier, aut quod
Est certe majus conditione hominum.
Candida palla fluens talo tenus adludebat;
Suspensa est lateri, quæ fuit ante, lyra.

Laurus inumbrasset, capiti ni desuper aureus
  Funderet undanti flumine lumen apex.
It circum capiti, lauroque innoxia flamma,
  Et quantum rutili sideris instar habet!
Tunc ille adridens cunctanti blandius: ito
  Tu potius, nostro et nomine pauca refer:
Quæ celebrata Sophis, non est ea fabula; cælo
  Delabi nostras, deinde relabi, animas.
Quot volvi super astra videt, quot sidera, et ignes,
  Tot populos, gentes, regna tot ipse videt.
Scilicet huic moli vis alte infusa creatrix
  Insidet, in formas itque, reditque novas
Immensa, et rerum concordia semina jungit,
  Solvitque, æterna mobilitate vigens.
Sic, agitante Deo, ferimur, mutamur in illo:
  Sic maria, et terræ, cunctaque plena Deo.
Ast quibus ipse sui radium Deus indidit, astris
  Reddimur, aeria spargimur et nebula,
Corpore ceu tenui, ut serpens novus exuit annos
  Ad solem, atque alias induit exuvias.
Altera tunc series, atque alter vertitur ordo;
  Rivi alii, et colles, fluminaque, et nemora.
Nec sine lege tamen; justo stant præmia; et illum
  Nectareque, ambrosiaque astra benigna juvant.
At scelerata cohors pœnis est debita; et illam
  Vesanusve Leo, vel rabidi ora Canis
Exercent. Viden hanc capiti splendescere lucem?
  Afflor honore Deum; me beat alma Ceres.
Nam, quod utrumque latet, poteris quæ maxima ferre
  Nuncia, me civem detinet illa novum.
Me me Diva suæ jussitque accumbere mensæ,
  Me me Diva suo nunc fovet in gremio.
Illic est quicumque aris adolevit honores,
  Aut cuicumque aliquo munere victa Ceres.

Illic incedit cunctis spectandus, et anglum
Se prodit vultu, menteque Ramsdenius. *
Monstratur digito, atque sua nunc crescit ab arte
It cœlo; at terris lumina, seque refert
Sæpe libens, jaculanti et sidera sæpe ministrat,
Telaque certa manu dirigit; o quoties
Dispellit nubem, et cælum dat habere serenum!
Et nunc laxa cavo in fornice fila manu
Tendit, nunc fœdum deterget pulvere vitrum;
Nunc emota suo singula stare loco
Cogit restituens, momentaque librat, et hæret
Assiduus lateri, perpetuusque comes.
Omnia fausta illi: tineis, blattisque terenda
Heu! cur nostra Ceres abditur in pluteis? **
Nostra Ceres, pro qua tanto nunc diguor honore,
Surripitur luci, muta, sepulta jacet.
At Sulmonensi fuerunt non fata maligna;
Longa erit Aeneis gloria Virgilio;
Quamvis iste rudem comburi vellet, et ille
Emendaturus, si licuisset, erat.
Quod superest solare, et me sibi dicito amicum
Vivere, dum nobis una erit illa domus.
Communis patria est: veniet post sæcula; et *illis*
Ipse chori princeps, cætera turba chorus.
Cur ah! cur tacuit? sibi me cur abstulit? Inter—
Essem Cœlicolis, Concilioque Jovis.

---

* Insignis artifex singularis instrumenti, quo Ceres detecta est Kal. Jan. anni MDCCCI.

** Scribebat italicis versibus poema de Cerere, cujus exstant libri duo. Prior ad unguem, alter tantum non perfectus. In votis est ut in lucem edantur.

AO: 46813